

86.  
£.  
260.

V 260

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA  
SISTENS  
MELETEMATA  
DE  
ATRA BILE HIPPOCRATIS

---

Q V A M

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO  
THVRINGIAE REL.

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

PRO GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

D. APRILIS MDCCXCIV

PVBLINE DEFENDET

GVILIELM. CHRIST. STERN

CAHLA-ALTEB.

---

ISEBERGAE,  
EX OFFICINA HEMPELIA.

Med. V. 260

<sup>2</sup> Be

1292 69801

PATRI OPTIMO  
OMNI PIETATE SEMPER COLENDO  
IOHANNI BENIAMIN  
GOTTHELF STERN  
SYNDICO APVD CAHLENSES MERITISSIMO  
HAS STVDIORVM SVORVM  
PRIMITIAS  
D. D. D.  
  
AVCTOR.

PATRI OPTIMO  
OMNI FRATRIS SEMPER CONFINIO  
JOHANNI BENIAMIN  
GOTTHEIE STERN  
SUNDICO APUD CARNICENS MERITISSIMO  
HOC STABORVM SAVRVM  
TERRITORIAS  
A. P. D.  
VACATOR

## PROOEMIUM.

**M**odus, quo opuscula inauguralia plerumque scribuntur, longe mihi abesse visus est a ratione, cur scriberentur. Medicus iuvenis, ad praxin iamiam se accingens, iubetur scriptum quoddam proponere, quo doceat, se iudicandi facultate, virtute medico practico per necessaria, non plane carere. Iam vero, ut medicus iuvenis munere ipsi demandato rite fungatur, eligit sibi argumentum, congerit anxie et perdiligenter anquirit res huc spectantes, ordine quodam disponit, et abunde fortasse demonstrat, se esse curiosum et sollicitum compilatorem, raro vero medicum se futurum prudentem. Quam a scopo et instituti ratione aberrationem evitare volui, licet *morbus niger Hippocratis* mihi idoneam praebuerit occasio-

A

nem,

nem, alieno studio et alieno iudicio utendi. Morbum igitur crassum tracto, haud quidem ita, ut integrum morbi descriptionem exhibeam, in qua omnia contineantur, quae scriperint auctores, quae observarint observatores. Tale enim institutum neque opusculi angustiis contineri potest, neque ad specimen exhibendum videtur esse necessarium. Legi quidem de morbo isto fere omnia, certe ea, quae potui, at ea tantummodo scripsi, quae cogitatione et iudicio subegeram. Graecos medicos adii, tanquam fontes, eorum decreta semper magni aestimavi, et ea praecipue in hac tractatione secutus sum; at dispersa et colligenda, et ordinanda erant; feci hoc lectione, quae iuveni competit; multa obscura elucidanda erant; hoc efficere allaboravi viribus iuvenilibus, quae rem perficere vetant. Haec tandem omnia feci, non eruditio variae ostendande causa, sed speciminis loco. Quare omisi scriptorum nomina, quae ad rem meam melius perspiciendam haud facere poterant, et quae lectionem mentiuntur, qua iuvenilis aetas potiri nequit, noluique cothurnis incedere, vel risui aliorum me exponere.

CAP.

## C A P. I.

## S E C T. I.

Sistens pathologicam morbi atri  
notionem.

Quotiescumque attento animo graecos medicos de atra bile legi, toties non potui impedire, quo minus comparationem instituerem inter decreta eorum de atra bile et recentiorum de infarctibus abdominalibus, et morbis gastricis. Tanta enim mihi semper visa est argumenti similitudo, ut, simulac ad hanc de atra bile antiquorum tractationem animum adverterem, mecum constituerem hanc comparationem audere, et similitudinis rationem quam diligentissime anquirere. Et certe, quo magis legi, et de ea materia cogitavi, eo maior et certior facta est similitudo, sive species morbi utriusque materialis, sive species atram bilem, tanquam feracissimam morborum causam, sive denique atrae bili medendi rationem, et medicamenta contra eam adhiberi solita, quae cum recentiorum remediis contra infarctus abdominales maximum partem convenient. Quemadmodum

enim recentiorum infarctus diversi sunt pro varia, ex qua componuntur, materia, ita veteres pro subiecto atrae bilis, pituitam, sanguinem utramque bilem habent. Et si unquam discrimen inter utrumque morbum poni et reperiri potest, id in eo tantummodo positum esse mihi videtur, ut maiorem materiae corruptionem antiqui in atra bile statuant. Quod vero discrimen non ea mihi videtur esse auctoritate, ut veram morbi utriusque ponat distinctionem. Nam si symptoma quoddam morbo superveniens tanti aestimetur a pathologis, ut exinde morbum aut novum putent, aut ad alias referendum censeant classes: tunc certe vereor, ne male cum nostra nosologia agatur; quemadmodum enim febrem biliosam omnem nomino febrem, cuius materia per primas educenda est vias, neque aliam efficit febrem bilis aut maior aut minor acrimonia: ita certe vasorum obstructionem, a materia effectam, infarctus appello, licet materia obstruens tantam interdum contraxerit acrimoniam, ut partes roderet et ad gangraenam disposeret. — At vero ne quid contendisse videar sine ratione, necesse est, ut ex antiquorum monumentis ea recitem, quae dictorum ponere possint argumenta.

Hippocrates (libr. de nat. hom. S. III. pag. 225. edit. Foës.) et schola eius, eiusdem docti commentator Galenus (de elementis L.

II. O. XI. p. 26.) et in Galeni verba iurantes Arabes, quatuor statuerunt sani corporis humorum genera, sanguinem nempe, pituitam, billem vitellinam et succum melancholicum seu atram bilem naturalem. Qui humores si aut stasi, aut quacunque alia caussa depravantur, variam adepti acrimoniam in materiam iamiam immutantur, quae *atrae bilis* sistit notionem.

Quod vero sunt istorum humorum depravationes modi, quotve sunt humores depravati, tot existunt *atrae bilis formae*. Ita enim Galenus (lib. II. cap. 2. p. 151.) quatuor statuit atrae bilis formas, ex sanguinis nempe faece, ex bilis flavae adustione, bituminosam, quae bituminis instar splendet, et ex sanguine denique. Varii erant effectus, prouti atra bilis aut ex hoc aut ex illo orta fuisset humore, ipsi enim humores, qui basin atrae bilis constituunt, licet sua iamiam natura diversi in eo praecipue differebant inter se, quod unus altero maiorem ostendisset ad atram bilem inclinationem. Quare non omnes humores eadem vi in talem degenerationem tendunt, sed bilis vitellina, et succus melancholicus aut sanguinis crassamentum ceteris omnibus palmam praeripit. Et inde certe factum est, ut Galenus (de febr. lib. II. C. II. T. 7. p. 142. edit. Chart.) humorum melancholicum in atrae bilis vicinia positum nominaret succum, et Hippocrates (de nat. hom. S. III. 10100718)

p. 231.) bilem vitellinam succum prae ceteris glutinosum, et inde ad atram bilem praecipue aptum contenderet. Prima vero atrae bilis caussa adustio antiquis visa est, quae nihil aliud est, nisi dissipatio partium in humoribus mobiliorum ita, ut uniantur partes immobiles; hinc facile intelligitur, eos humores, qui ex natura iamiam habeant aliquid crassi, prae ceteris facile posse aduri, eosque atrae bili procreandae praecipue esse obnoxios. Quae quidem ex praestructo argumento deducta antiquorum conclusio fecisse mihi hoc videtur, ut a potiori fieret morbi denominatio, et licet bilis haud in caussa esset, morbum suis stipatum symptomatibus atrae bilis nomine insignirent. Cum vero bilis et succus melancholicus omnium humorum fuisse tenacissimi: his praecipue, ea de caussa, eos morbos adscriperunt veteres, qui diurnitate sua fuerunt insignes. Talis autem fuit febris quartana, quae, teste Hippocrate, autumno orta ad tempestatem vernam usque perdurat, et chronicus huius morbi character fecit, ut Hippocrates nullam aliam in hoc morbo admitteret caussam, nisi bilem, et stationum in hac febre rationem in glutinosa bilis natura poneret. (de nat. hom. S. III. p. 231. edit. Foef.)

Quemadmodum eximia bilis vitellinae et succi melancholici fuit in atram bilem proclivitas: ita nulla atrae bilis forma vehementior et atrocior

atrocior fuit sua acrimonia, quam quae aut ex bile aut ex succo melancholico orta fuit. Morbi periculosissimi pariter ac valde diuturni ex bile praecipue iamiam adusta, et in atram bilem conversa derivarunt antiqui. Quare *Paullus* (Lib. IV. I.) morbum cum observasset cum extimatum elapsu et procedentia, morbi ita atrocis et horrendi caussam in bile quaerit. Cuius quidem rei rationem reddit Hippocrates (de aer. loc. et aqu. S. III. p. 288. pr. ed. Foëf.) inest enim bili, ita Hippocrates, cum crasso aliquid acris, quod si ex adustione magis concentratur magisque depravatur: ingens evadit virus. Rationem reddidisse mihi videor, cur bilis, praeceteris humoribns, antiquis in tantum ceciderit suspicionem, neque exinde mirum esse videtur, cur in bile praecipuam posuerint morborum caussam, et inde facile concludi posse credo, valde amplam ipsis fuisse morborum crassorum ita dictorum notionem, et certe, nisi me omnia fallunt, febris biliosae notio apud antiquos ita diffusa, ita lata, ita extensa fuit, quemadmodum apud nos bilis pleraque morborum caussa habetur, (*vid. Reil de polycholia P. I. II. Rudolstaedter über die hitzigen Fieber*) Eximum meae sententiae habeo patronum Ill. Sprengel in *Versuch einer pragmatischen Geschichte der Medicin Th. I. p. 191.* Hinc fortasse etiam factum est, ut teste Hippocrate (*in epist. ad Damaget.*) De-

mocritus της χολης την Φυσιν και Θεσιν investigaret; hinc factum esse credo, ut Aristoteles (*de part. animal. Lib. IV. C. 2. med. de hist. animal. Lib. III. O. 2. pr.*) bilem ad sordes corporis humani referret, neque eam pro secreto, sed excreto haberet, imo ut ex eius absentia vitae diuturnitatem praenunciaret. Quae cum ita sint, non possum, quin contendam, istam atrae bilis formam, quae ex bile fit vitellina, nihil aliud fuisse, nisi morbum biliosum, id est talem, cuius causa ex recentiorum decretis in bile consistit vario modo corrupta, putrida facta, et atro induita colore, qualem saepe reiectam videmus in morbis biliosis. Neque ea de causa cum Fr. Hoffmann (*in diss. de morbo nigro Halae 1791. quam recudi curavit Ill. Baldinger in opusc. select. in quibus Hipp. explicatur*) facere possum, qui hanc atrae bilis formam apud antiquos ita solemnem fuisse plane negat, et antiquitatem erroris agit ream, quod, ubicunque sanguis corruptus vomitu reiectus fuerit, talem dejectionem interdum ex bile deduxisset. Quidquid enim deiicitur atri coloris, acris, et dentes stupefacentis, id ab atra bile veteres derivarunt, maluerunt enim esse observatores, quam ratiocinatores, et nescio, an non bilis vario modo depravata et in virus immutata, tantos prodere possit effectus, quantos interdum animadvertuntur in morbo nigro. Et si negas hunc

hunc morbum interdum fuisse febrem biliosam, certe multa erunt obscura in monumentis antiquorum obvia; ego quidem, si negarem, nullo modo explicare possem, quomodo veteres observare potuissent vomitum nigrum criticum.

At vero si de atra bile pituitosa sanguinea et melancholica quaeritur, tunc certe maior existit cum infarctibus abdominalibus similitudo. Talis enim est materia, si succum melancholicum, antiquis proprium excipias, quae infarctuum apud recentiores fistit subiectum.

Hippocrates (*de aer. loc. et aqu. Sect. III. p. 288. pr. edit. Fof.*) ubi de autumno loquitur sicco, aquilonio, neque sub canem, neque arcturum pluvioso, contendit eum valde favere mulieribus et pituitosis, minime vero biliosis, quia facile eo resiccantur et bilis facile adustionem patitur, qua quidem, ut vidimus, facile fit atra bilis, negare videtur atrae bilis ex pituita ortum, et genesin, ea quidem ex caussa, quia tempestas, bilem facile adurens, pituitae haud noceat. Nescio certe, an ratio, ab Hippocrate allata, sufficiat, ut negemus atrae bilis ex pituita genesin. Hippocrates enim videtur autumno tanquam primariae atrae bilis caussae nimis indulisse; nam morbis autumno ortis semper aliquid melancholici subesse contendit, et sine ratione humorem pronunciasse insontem videatur, quem ab hac aeris constitutione autumnali

haud laesum et depravatum observarit, quasi non  
 eadem caussa, in autumno subsistens, et bilem  
 adurens, pariter possit pituitam adurere, neque  
 inveniri possint et aliae caussae, ex autumnali ista  
 constitutione haud quidem provenientes, quae  
 pituitam ita corrumpere queant, ut exinde fiat  
 materia, cum atra bile conformis. Sed salva sit  
 Hippocratis observatio! Bene enim scio, tem-  
 pestatem nubilam, et pluviosam pituitae genesi  
 praecipue favere, solida enim laxat, et organa  
 pituitae secretoria debilitat, quo quidem facile  
 fieri potest, ut ista organa pituitam magis profun-  
 dant, quam secernant; scio praeterea huius ip-  
 sius pituitae austam et acceleratam secretionem  
 non fieri posse, nisi simul pituita varie deprave-  
 tur, quaevis enim secretio praeternaturaliter  
 facta et accelerata humorem producit morbo-  
 sum et praeternaturale. Cum vero tali aeris  
 constitutione haud sit autumnus siccus atrae  
 bilis ita ferax tempestas: intelligitur, autumno  
 pituitosis nullam nocendi vim tribuisse. Hip-  
 pocratem, et haec ipsa Hippocratis observatio  
 in caussa fuisse videtur, cur pauca aut nulla  
 haberet de atra bile pituitosa. Ita etiam Paullus  
 (IV. 1.) duplarem tantummodo admittit atram  
 bilem, sanguineam nempe et biliosam, nescio,  
 utrum Hipp. auctoritate ductus, an sua expe-  
 rientia id fecerit. Certum autem est, non pau-  
 cos inveniri medicos, qui atram bilem pituito-  
 fam

sam omnino admittendam putarint. Galenus enim quatuor atrae bilis statuit formas, quarum bituminosa una est, ita dicta, quia bituminis instar splendet, haec certe nulla alia fuit, nisi pituitosa; ita Alexander (*Lib. I. 4.*) alopeciam et porriginem ex pituita salsa et calefacta deducit. Incertus autem haereo, an hoc referenda sit atra bilis frigida, cuius mentio facta est ab Aristotele (*Prob. S. XXX. T. II. ed. Genev. 1607 p. 1013.*) haud longe enim a veritate abeatur, atram bilem frigidam et pituitosam unam esse eandem que, nam Aristoteles ex frigida tales animi affectus explicat, qui constitutioni pituitosae praecipue sunt proprii, et in libro (*de insomn. et vigiliis C. 3.*) frigidam iudicat efficere locum nutritionis frigidum, frigus autem et actionum languor pituitosis inest, et pulsus tardus, quem plerumque in atra bile observavit Aretaeus (*Lib. de caussis et sign. morb. diut. C. V.*) teste Galeno (*de sympt. cauff. L. II. c. 5. T. 7. p. 78. ed. Chort.*) frigori valde est aptus.

Quid praeterea impedit, quo minus existimem Aristotelem frigida sua atra bile nihil aliud significare voluisse, nisi talem, quae inflammationem producere nequit; cum enim bilis vitellina et succus melancholicus, ut antea dictum est, aliquid in se habeant acre, quod facile adustione ita augeri possit, ut quascunque partes arrodere et inflammare queat: fortasse intellegitur

ligitur, hanc speciem, quae inflammationes producere nequit ab Aristotele pituitosae, aut frigidae atrae bili fuisse tributam.

At, quo propius accedit tempus, ubi medici Galeno magis, quam Hippocrati operam dederunt, eo certiora sunt eorum decreta de atrabilis pituitosa, omnes enim Arabes atram bilem ex pituita dari et fieri contendunt.

Restat iam, ut quaedam de sanguine ipso, tanquam atrae bilis fonte, moneam, licet non admittat hanc speciem Fernelius, quia sanguis nihil habet acre, sed natura est dulcis. Nolo hic accuratius in caussam, a Fernelio allatam, inquirere, cum satis pateat, blandissimum adeo humorem, si morbose afficiatur, tantam assequi posse acrimoniam, quae partes arrodat, et ita se gerat, ut talis humor ad atram bilem merito sit referendus. Neque ego a Fernelii sententia abhorreo, qui omnino concedens, talem formam apud antiquos fuisse solemnem, negat, eam esse admittendam. Ipse enim persuasum habeo, istam formam nullam esse aliam, nisi talem, quae fiat ex crassamento sanguinis, seu, ut cum antiquis loquar, ex succo melancholico. Quae licet ita sint, hanc formam tamen hic praetermittendam nullo modo putavi, ne quid omisisse perhibear, quod ad antiquorum decreta de atrabile intelligenda aliquid facere posse videatur.

Qui

Qui vero antiquorum scripta intelligere  
 vult, isti nihil magis inculcandum videtur, nisi,  
 ut obscura ex ipsis antiquis explicet, et lucem  
 ex ipsis desumat monumentis. Quod si aliter  
 fit, cavere sibi nemo potest, ne iniuriam cre-  
 brius inferat venerandae antiquitati. Qui igitur  
 nescit, antiquos longe aliter de sanguine iudi-  
 cassse, quam recentiores, facile antiquitatem  
 ineptae subtilitatis ream aget, quod crassam  
 mentum sanguinis ab ipso diremerit sanguine,  
 utriusque parti sanguinis constitutivae fuos tribue-  
 rit morbos. At succus melancholicus antiquis  
 fuit humor, a sanguine valde diversus, per se  
 subsistens, non in hepate, sed in liene secretus  
 et peculiari in atram bilem proclivitate praedi-  
 tus. Quae cum ita sint: omnino tenendum esse  
 videtur, antiquos, ubicunque sanguinis tan-  
 quam atrae bilis caussae iniecerint mentionem  
 seiungere ab hac significatione succum melan-  
 cholicum, seu, ut nobis vocatur sanguinis crassa-  
 mentum. Quare si Hippocrates (de morb. vulg.  
 L. II. S. VII. p. 1090. ed. Foës.) μελαγχολικον  
 και υφαιμον coniungit: ου μελαγχολικον nihil aliud  
 est, nisi atra bilis ex sanguine, non ex succo  
 melancholico (Hippocr. l. c. L. VI. S. VII. p.  
 1190.) Talem autem sanguinis crassitatem et in  
 atram bilem inclinationem animadvertisit etiam  
 Aretaeus (L. I. c. 5.) qui sanguinem ex vena  
 missum observavit crassum, nigrum, amurcae  
 instar;

instar, quemadmodum est atra faex, in oleo subsidens.

Hae sunt diversae atrae bilis formae, quae non diversa tantummodo materia distinguebantur, sed praecipue diversis, quos edunt, effectibus. Omnium periculosisima et atrocissima fuit illa, ex adustione bilis vitellinae, mitissima vero secundum Galenum (Comm. ad aph. XIV. Lib. II.) fuit sanguinea.

Periculum igitur pendebat ex subiecto atrae bilis, haud vero ex hoc solo, sed magni momenti etiam fuit varius depravationis et adustionis gradus, qui quidem non solum ex causae, adustionem efficientis, vehementia pendebat, sed etiam ex materiae, adustionem patientis, minori aut maiori in eam proclivitate.

Quae si non omnia a me male intellecta et scripta sunt, ego adhuc iuvenis non possum, quin Ill. Mezlero, Viro in harum litterarum disciplina ita exercirato, contradicam, qui in libro, Ueber die schwarzgalliche Constitution, p. 14. negans, antiquos de materia atrae bilis certam secutos sententiam, antiquitatem vituperandam censet, quod sumnum tantummodo depravationis gradum nominaverit atram bilem (p. 17.). Affirmat praeterea Vir iste illustris, (p. 16.) recentiorem medicinam parum de atrabile antiquorum habere. At si atra bilis antiquorum affinitate quadam cum infarcitibus absenscio,

dominalibus recentiorum coniuncta est, ut est, et si ea saepe nihil aliud fuit, nisi febris biliosa, nescio, an affirmare liceat, modernam medicinam nimis pauca de atra bile habere. Nam si apud antiquos atra bilis omnes fere morbos chronicos tanquam caussa suos effectus in se continet: recentiores morbos diuturnitate pertinaces et molestos ex infarctibus deducunt. vid. Retz Krankheiten der Haut, ihre Ursachen, ihre Symptome, und ihre sowohl schickliche, als widersinnige Behandlung, Breslau 1788. Welti ex anthematum fons abdominalis D. Goetting. 1784. Si morbus quidam solitis remediis haud cedebat, si insolitis stipatus fuit symptomatibus, aut denique si caussa morbi non apparebat, melancholici quid subesse contendunt; recentiores vero caussam in abdomine quaerunt, in infarctibus nempe aut firmiter inherentibus, aut acrimoniam iamiam adeptis, aut ita delitescentibus, ut signis suis se haud prodant. Possem hic morbos producere, quorum causam antiqui atram bilem accusant, recentiores vero in infarctibus ponunt; sed hic sufficiat unum tantum nominasse, cuius mentio facta est ab Hipp. (in Libr. III. de morb.) et in cuius descriptione contra doctissimum Freind (histoire de la medecine T. II. p. 387) ego nullum alium significatum fuisse morbum contendeo, nisi scorbutum terrestrem; cuius vero morbi caussam Galenus

lenus (in Comm. ad h. l.) in liene posuit, quemadmodum Alexander (VIII, XII.) eundem morbum ex atra bile derivasse videtur; sicut vero scorbutus, neque recentiorum observata ab hac Galeni causa abhorrent, quippe qui in scorbuto terrestri plethoram accusant abdominalem, vasa obstructa et infarcitus. vid. Selle Handbuch der medicinischen Clinik pag. 251 ed. quinta.

At dicat aliquis, unde sit tanta materiae acrimonia, quae signum fere characteristicum ponit inter infarcitus recentiorum et atram bilem antiquorum. Caussam vero istius acrimoniae apud antiquos ita solemnis invenisse mihi videor in perversa infarctuum abdominalium curatione, et ante omnia in Helleborismo. Omnia fere medicamenta contra atram bilem adhibita ex drasticorum erant ordine, ita Hippocrates (de morb. libr. II. c. 29.) helleborum commendat. At, quis nescit, hunc drasticorum usum magna cum cautione fieri debere? Haec enim si semel praeter rationem et inepte data sunt: omnia in peius ruunt; infarcitus enim abdominalis non diu esse possunt, nisi ut efficiant spasmos varios et leviores, et vehementiores, pro constitutionis corporis maiori minorive in spasmum propensitate, et pro varia materiae infarcientis acrimonia. Iam vero, si drasticum sub hac rerum conditione propinatur: spasmi intestinorum in convulsiones fere immutantur, quae vero

vero non diu persistere possunt, quin tantam  
 omnium humorum entericorum producant acri-  
 moniam, quanta observatur in atra bile vete-  
 rum. Cuius quidem rei optimus mihi fuit testis  
 Hippocrates, qui; (S. V. aph. 1.) convulsiones  
 et mortem ex hellebore se vidisse affirmat, qui-  
 que hac ipsa experientia commotus fuisse vide-  
 tur, ut non sine ulla exceptione helleborum ad-  
 hibendum suaderet (L. IV. aph. 13.) Huc etiam  
 pertinet sanguinis missio, a multis veteribus pae-  
 ter rationem commendata, et a recentiori quo-  
 dam, quantum memini, male in hoc morbo re-  
 petita. Qui enim spasticorum symptomatum  
 caussa venam secat, spasmos, si non augeat,  
 certe male curabit. Res patet; medicamenta  
 enim morbo sunt accommodanda, haud qua-  
 quam vero ratione morbus medicamentis; quod  
 si tamen aliter fit, non fieri potest, quin morbus  
 evadat pertinacior. Spasmus solidorum est vi-  
 tium, neque video, dummodo isthuc motus  
 vitium ne ex plethora pendeat, quomodo  
 sanguinis detractio possit spasmum curare. Cu-  
 ius rei veritatem, ut plura alia, iamiam intelle-  
 xisse videtur Aretaeus (de curat. diut. morb.  
 Lib. I. 5.) qui multis contra sanguinis detractio-  
 nem in atra bile ~~dispuet~~. Quae si cui haud  
 sufficient ad acrimoniam, in infarctibus antiquo-  
 rum obviam, explicandam: cogitet morbum  
 atrum saepe nihil fuisse, nisi febrem biliosam,

ubi bilis saepe ita corrupta prolicitur, ut lixivio caustico sit vehementior, vid. *Ill. Baldinger neues Magazin 16 B. 2. St. p. 124.* et humi effusa aquae fortis instar spumas edat *Borelli obs. 1. Cent. II.* quaeve ita putrida facta est, ut cadaver o'eat. *Hipp. de morb. II. 29.*

Quamquam vero haec omnia mihi probare videntur, medicinam recentiorum, si de infarc-tibus quaeritur, non longe abesse ab antiquorum decretis de atra bile: tamen video, antequam aliquid certi possit ponni, hanc materiam uberiori opus habere tractatione. Haec vero a me fieri nequit, quippe qui opusculi mei angustiis magis impedior, quam rerum tractandarum inopia, prudentiorum igitur iudicio, ut cetera omnia, quaestione relinquo, an decreta recentioris medicinae de morbis biliosis et infarc-tibus habeant convenientiam quandam cum antiquorum placitis de atra bile. Idem praeterea constituent, utrum dici possit, recentem medicinam iusto pauciora habere de atra bile antiquorum, an non.

## S E C T. II.

De sede morbi ex antiquorum  
sententia.

**S**i de sede atrae bilis ex antiquorum sententia quaeritur, omnis in eo convenit antiquitas, ut hepar et lienem praecipue reum agat. Nemo certe intelligere potest, cur has praecipue accusarint partes, nisi sciat, quae ipsorum fuerint de his organis decreta physiologica, neque ego cum Ill. Mezlero facere possum, qui causam in eo quaerit, quod antiqui has partes post mortem semper invenerint vitiatas, morbosas et infarcatas; nullo enim modo constat, Hippocratem cadavera infecasse, et Galenus adeo affirmatur simias tantummodo aperuisse. Bene vero noverunt antiqui, sanguinem, qui in hepate sit, crassum et limosum reperiri; unde contendunt, hepar tali praecipue nutritri sanguine, cum per se sit viscus durum et crassum (*Galen. de usu part. VI. 10.*) At sanguis hepaticus, ex quo nutritur hepar, multas habet partes et leves et crassas, quae nutritioni hepatis inservire nequeunt; quare antiqui quatuor esse organa contendunt, quibus hepar a partibus inutilibus liberetur et

purgetur, lien nempe qui crassum, vesica urinaria et uterque ren, qui partes ad se attrahit leviores (*Galen. de us. part. L. V. 10.*). In hac enim vi attractoria, secretionibus et excretionibus tributa, tota versatur antiquitatis ratio, has res explicandi. Accidit vero haud raro, ut splenis vis attractoria aegrotet, tum hepar crasso suo haud purgatur, sistitur in hepate atra bilis naturalis, aut succus melancholicus, et nisi alia fiunt, certe oritur icterus niger (*Paulus de remed. Lib. III. Cap. XLIX.*) Crassum, quo hepar a liene purgatur, per venam attrahitur lienalem, nam ex *Aretaeo* (*de causs. et sign. acut. 2.*) in venis fluit sanguis spissus et crassus, in arteriis levis et tenuis, et Arabes, qui maiorem de vena portarum habuisse videntur cognitionem, negant ex hepate modo succum melancholicum attrahi, sed etiam ex ceteris visceribus. At vero, quemadmodum spleni tribuerunt antiqui facultatem, succum melancholicum attrahendi, ita ex antiquorum sententia ipsi competit vis, hunc succum retinendi. Si vero lien tumidus fit, aut alia quacunque caussa morbo afficitur, ita ut vis retentrix debilitetur: succum istum ulterius retinere non potest, et fit per vasa brevia vomitus melancholicus (*Paulus de remed. III. 49.*)

Ex qua quidem antiquorum de vomitu atrae bilis disciplina, facile elici potest, eos vomitum cruentum saepe cum morbo commutasse atro,

atro, et vasa brevia ipfis solam fuisse viam, per quam talis vomitus fieri posset.

Atra bilis morbus fuit humorum, communis autem fons humorum et sanguificationis antiquis fuit hepar; ergo atrae bilis primam originem, sedemque primariam in hepate ponebant. In tanta enim apud antiquos hepar fuit auctoritate, ut non solum hanc sanguificationis functionem ipsi tribuerent, sed ut ex huius visceris bona aut mala constitutione brevitatem aut longitudinem vitae derivandam censeret *Aristoteles (de part. animal. IV. 2.)* et ut Tityi, vim Latonae inferentis, hepar, quia in eo tanquam sanguinis fonte voluptas ponebatur, a vulture apud inferos roderetur.

Quae cum ita sint, facile intelligitur, cur antiqui atrae bilis sedem in hepate et liene posuerint. — Iam vero, licet multa restent dicenda, ne praescriptos opusculi fines transgrediamur, antiquorum decreta de atra bile parumper omittamus, studium ad ea convertentes quae sunt recentiora, ut etiam videamus, quomodo atra bilis antiquorum a nostris sit intellecta et descripta medicis.

## S E C T. III.

De recentiorum de atra bile  
decretis.

**S**i quis autem recentiorum decreta de atra bile considerat, mox intelliget, eos in nomine tantummodo convenire, in re nullo modo. Ita enim variae et diversae inter se sunt recentiorum de isto morbo sententiae, ut haec ipsa opinionum diversitas haud exiguum praebeat argumentum rei nondum satis tractatae, neque ex omni parte spectatae.

Multi autem in eo convenientiunt scriptores, ut atram bilem internarum haemorrhagiarum speciem habeant; talis equidem est *Fr. Hoffmann in D. morbo nigro Hipp. Halae 1701*, quam sententiam omnes tuentur medici, qui Hoffmanum secuti sunt, de quibus vid. *Selecl. opusc. in quibus Hipp. explicatur ed Ill. Baldinger. Goett. 1782.* et *Simson de re med. Diff. 4. pag. 153.* Libenter quidem concedo, antiquorum decreta non plane ab hac morbi notione abhorrente, quippe ipsis ad atram bilem notandam suffecisse videtur quicunque vomitus atri coloris, qualis saepe est vomitus cruentus, et *Hippocrates in descrip-*

descriptione morbi atri (Lib. II. de morb. S. V.) sanguinis vomitum claris notasse videtur verbis. At nullo modo affirmare possum, quemadmodum post Fr. Hoffmann fecerunt scriptores modo laudati, internam haemorrhagiam antiquis fuisse unicum atrae bilis formam. Scio praeterea vomitum cruentum, si caussam spectes, multa habere similia cum atra bile antiquorum, ex communi enim medicorum sententia talis vomitus ex infarctibus abdominalibus oritur; idem scio morborum diversitatem praecipue symptomatum varietate cerni. Iam vero si alia observantur symptomata in vomitu cruento, alia in atra bile antiquorum: nescio certe, an liceat morbos, natura et symptomatibus diversos, interf se commutare. Vomitus enim cruentus cito et improviso exoriri potest, quaecunque vis externa vasorum rupturam efficiens, quaecunque ex-aestuatio vehemens, quodcunque denique irritamentum, stomacho illatum, ita vasa gastrica stimulare potest, ut licet haud observentur infarctus, qui sanguinis restagnationem versus ventriculum efficere possint, verum fundant sanguinem. Talis vero certe non est atra bilis, quae semper caussam requirit chronicam, diu iamiam in corpore ita delitescentem, ut sanitas labefactetur. — Vir dexteritatis laude et eruditio-nis varietate mihi in primis venerandus, et quod multo potius est, amicitiae vinculo caris-

limus, morbo quondam affectus fuit, quem medicus, Vir eximiae in arte facienda sollertiae, atrum vocavit Hippocratis morbum. At hic morbus pariter nihil aliud fuit, nisi vomitus cruentus, quare eum nullo modo ad atros referendum censeo morbos. En imaginem morbi descripti et typis expressi in Frankfurter medic. Wochenblatte Jahr 1791. Iudicium enim ferant alii me sagaciiores.

Aegrotus lienosus suscepit iter, in quo ipsi haud defuerunt variae mentis agitationes, labores innumeri exiguo temporis spatio agendi; unde redux vires eximie fractas sensit; advenit colica cum exigua diarrhoea; animadvertisit, pressionem in scorbiculo, cum vomendi conatu et vomitus ipse infuscatus est materiae atrae talisque deiectio; bis eundem passus est; febriles accesserunt motus, et vomitus rediit, instantis mortis praenuncius; dolor lienis eximus fuit, qui tamen adhibitis externe anodynais cessit, quo amoto mox omnia ex voto cedeabant.

Patet morbi caussam fuisse in liene; at iam antea fuit lienosus aeger, quaeritur, cur eodem morbo non prius affectus fuerit. Lien infarcitus caussa mihi est morbi remota, necesse igitur fuit, ut aliquid accederet, quod vomitum istum producere posset, quod si accessit, caussa mihi morbi est proxima, sive continens. Iam vero intelligimus, aegrum nostrum iter suscepisse

pisse, et praecipue variis animi motibus fuisse obnoxium, hinc ego concludo spasmum factum fuisse, quem quidem Colica, lienis dolor, et antispasticorum usus externus ita efficax satis notasse videtur; hic vero spasmus restagnacionem versus ventriculum efficit, hinc vomitus cruentus. Vellem itaque ut medico experientissimo placuisset, motuum febrilium, qui evenierunt in morbo caussam quaerere, vellem, ut dolor lienis vomitum praecedens eum ad caussae proximae cognitionem adduxisset, vellem denique, ut antispasticorum usus ita efficax veram morbi naturam aperuisset. Sed video me de vomitu isto cruento nimis fuisse longum. Condonent iudices amicitiae, si in sua re iusto fuerit loquacior. Neque de vomitu cruento cum atra bile non commutando quidquam ulterius addam, cum gravem meae sententiae defensorum videam Ill. Marcard qui talem vomitum, quem ipse vidit (medizinische Versuche, B. 2. p. 194.) nullo modo contendit sanguineum, aut vomitum cruentum, quique (Beschreibung von Pyrmont, 2 B. pag. 57.) vomitum cruentum nullo modo cum atra bile commutandum censet.

Longe igitur aliam theoriam recentissimus et optimus atrae bilis scriptor proposuit Ill. Mezler, bene intelligens, quam male scriptores vomitum cruentum cum atra bile commutarint.

Contra antiquorum autem sententiam Ill. Mezler pro communi atrae bilis materia assumxit tantummodo bilem. Nomihi fortasse atrae bilis nimis inhaesisse videtur vir iste illustris: huic bili, antequam fieri possit atra bilis, admiscendam censet pinguedinem, vario modo corruptam et depravatam; cum vero, ubi pingue est, puita etiam inveniatur, neque oleum ceteris admisceri possit humoribus, nisi accedat gummi quoddam, quo pingue ad miscelam aptum redditatur: huic ex pinguedine et bile factae mixtuae admiscet pituitam. Ex qua quidem materialium varie depravatarum compositione oriri contendit massam illam putridam, tenacem et acrimonia sua radentem, qualis est atra bilis antiquorum.

Qua quidem Ill. Mezleri theoria atrae bilis quid potest ingeniosius excogitari, quid doctius proferri? Video tamen hanc eandem sententiam iamiam attigisse magnum Boerhaavium, eiusque doctum Commentatorem, Swietenium (ad aph. 1105.) neque me fugit, hanc ipsam materiam uberiorius tractasse *Cl. Lorry in Mem. de l'acad. de l'an 1779.* Ipsa vero tractatio recusa legi potest in *Abhandlungen für Aerzte.* At non placuit Ill. Mezlero suae de atra bile theoriae ponere argumenta; video tamen hoc factum esse in libro über die *Wassersucht* pag. 67. ubi, cum Hipp. de morb. vulg. L. VI. S. VII. p. 1190 ed. Foes.)

Foef.) basini bilis contendit pinguedinem, et ubi cum Cl. Lorry l. c. hepar tanquam pinguedinis depuratorum organum censendum esse putat. Nullus est corporis humani humor, ita enim Ill. Mezler, qui cum bile in maiori positus esse videatur affinitate et connexione, nisi ipsa pinguedo. Nam si bilis secretio vitiatur, ita ut aut nulla, aut corrupta existat bilis, nullo modo id fieri potest, nisi simul chylus depravetur; cum vero chylus pinguedinis in se contineat principium: intellectu facile est, hoc fieri non posse, nisi pinguedo in telo cellulari deponatur imperfecta, corrupta et male animalisata. Quae cum ita sint, Ill. Mezler concludit, bilem corruptam depravatam producete pinguedinem et vicissim vitiatam pinguedinem bilem vitiatam, et eodem loco cum Ill. Wrisberg in animadvers. ad elem. physiol. Halleri pag. 17. existimat, pinguedinis subitam et improvisam accumulationem ex hepatis vitio plerumque pendere.

Nolo equidem contradicere, cum iuveni inexperto haud conveniat cum eruditis discepere viris. At dubitare unicuique licet, dummodo ne id fiat sine ulla ratione. Concedo igitur libenter, malam bilem malum producere chylum, huncque malam pinguedinem; at dubito, malam pinguedinem bilem corrumpere, et haec omnia fieri vicissim. Nam licet vera sit prior thesis: tamen ex ea nullo modo elici posse videa

videtur alterius veritas. Cogitavi enim mihi caussam morbosam, quae varios protulit effectus, nemo certe dixerit de iis, quippe qui causam iamiam supponant, hos caussae, unde devenerint, in se continere rationem; scio praeterea hydropericardia caussam saepe in bile esse querendam, quae concoctionis mechanismum impedit, et pinguedinem inde producit imperfectam, ita ut materia, in tela cellulosa contenta, magis praebat pituitae resolutae formam, quam pinguedinis; non credo autem, hanc pinguedinem corruptam in caussa esse, ut bilis sit depravata, neque medico licere mihi videtur, ubiunque duos observaverit morbos, unam alterius ponere caussam. —

Sed intervenit Clariss. Lorry, qui peculiari studio bilis et pinguedinis demonstravit affinitatem. Flavum pinguedinis colorem derivandum censet ex bile, pinguedinem tingente. Ab unde id quidem docet, pinguedinis generationem in concoctione esse ponendam, nullo vero modo id probare videtur, pinguedinem praecipuum conferre symbolam ad bilem generandam.

Observavit praeterea Cl. Lorry, bilem infantilem parum esse flavam, parum amaram et animalisatam, et caussam invenisse se credit in pinguedine imperfecta, et pituitae simili. Haec omnia recte sunt observata, dummodo ex iis talis conclusio deduci possit; omnes enim functiones

in

in homine ita imbecilli imperfectae et debiles  
 fiunt, ergo secretio etiam bilis, et pinguedinis  
 in tela cellulosa depositio, neque mihi videtur  
 ea de causa affinitas utriusque humoris proban-  
 da esse, cum una causa esse possit, quae bilis et  
 pinguedinis secretionem efficiat imperfectam,  
 neque necesse videatur esse, ut unus humor, im-  
 perfecte secretus, alterius male secreti in se con-  
 tineat causam. Notum praeterea est, in mulie-  
 ribus laxantibus saepe fieri lactis in tela cellu-  
 losa depositionem, hancque laxantibus et ape-  
 ritivis plerumque curari, imo morbum istum  
 lacteum diarrhoea critice oborta cessasse obser-  
 vatum est. Quae quidem observatio aliud est  
 argumentum sententiae, a Cl. Lorry prolatae.  
 At natura, materia aliena gravata, et mole se  
 liberare studens, materiam evacuandam eo pree-  
 cipue deponere solet, ubi factum est irritamen-  
 tum. Iam vero resolventium et evacuantium ea  
 preecipue est natura, ut locum, quo deveniant,  
 stimulent et irritent; unde facile intelligi posse  
 credo horum medicamentorum in morbis lacteis  
 vim, et actionis modum; ita enim etiam in hy-  
 drope anasarca fit, ut aqua in telam cellulosam  
 profusa, evacuantibus et purgantibus non sine  
 eventu evacuetur. Neque alia diarrhoeae in  
 morbis lacteis critice obortae ratio esse vide-  
 tur, hoc tantummodo discrimine, ut ex stimu-  
 lo, in primis viis subsistente, accedat maior bilis  
 profu-

profusio et secretio, quae itaque non tanquam morbus ipse spectanda esse videtur, sed tanquam symptoma, morbo superveniens.

Restant multa alia argumenta, a Cel. Lorry l. c. prolata, quibus suam de bile naturali et atra bile confirmare studet sententiam, sed omnia in eo peccare videntur, quod omni exceptione nullo modo sunt maiora. Praecipua tantummodo iamiam adduxi, nolui enim rem, a recentioribus tanto studio ventilatam, in dubium vocare, sed id tantummodo egi, ut contra argumentandi rationem quaedam proferrem dubia; cogitare enim muneris fuit. Quod reliquum est, viri prudentiores, si quid perperam differui, aut falso iudicavi, iuvenilis ingenii infirmitati condonent. —

Nihil autem magis in hac ipsa tractatione molestum fuit, quam opusculi ipsius angustia, qua ego multa reticere cogor, quae omittenda non sunt. Haud quaquam tamen impediri possum ne, quaedam *de atra bile*, ut signo dicam, nam valde diversa et inter se varia antiquorum decreta hac de re sunt, et certe confido, eorum, qui ad antiquitatis studium animum appulerint multos esse, qui in hac praecipue re antiquos obscuros, et sibi ipsis contradicentes invenerint.

## Sect. IV.

**D**e atra bile ut signo, et de signis  
atrae bilis.

**A**trae bilis exitus adeo diversae fuit iudicationis  
ut is et letalis et salutaris fieri posset.

Iudicium enim diversum fuit, prouti atra  
bilis abiret, aut pituitosa aut sanguinea biliosa,  
aut melancholica; has enim formas malignitate  
sua inter se diversas esse, iam antea notavi.  
Pessima omnium fuit ea, quae ex bile vitellina  
orta erat.

Multum praeterea interest, utrum atra bilis  
abeat tanquam morbi symptoma, an tanquam  
morbi caussa; illa enim notat morbi vehemen-  
tiam, haec morbi solutionem. Quare Hipp. in  
Coac. praen. S. II. p. 127. ed. Foës. febricitantibus  
in principio atrae dilis exitum letalem fore pro-  
nunciavit.

Iudicium desumebatur ex colore materiae  
reieclae. Nam si color fuit porraceus, aut livi-  
dus, aut niger, quisque horum colorum pra-  
vus fuit; si omnes simul adfuerunt colores, per-  
niciossimum vid. Galenus Comment. in libr.

Epid.

Epid. II. text. II. ed. Chart. Hippocrates Lib.  
praenott. p. 78. ed. Mercur.

Neque levis fuit momenti odor materiae;  
livida enim materia si olet: praesentissimam de-  
nunciat mortem Galen. Comm. l. c. notat enim  
gangraenam.

Diversum tandem fuit iudicium pro sym-  
ptomatum comitantium diversitate; in pernicio-  
se enim se habentibus parvi tremores et aerugi-  
nosi vomitus; letale Hippocrates Coac. praenott.  
No. 64. T. VIII. p. 856. ed. Chart. Aph. IV.  
22. 23. et si symptomata adfuerunt magnam ver-  
sus caput congestionem significantia, ut capitis  
dolor, surditas, et si vomitus aeruginosi adve-  
nerunt, tunc delirium ferinum instare notante  
Hipp. praed. I. ed. Mercur.

Si vero quae signa atrae bilis, apud veteres  
fuerint, quaeritur, omnino tenendum est, ea  
parum sufficere ad morbi caussam cognoscen-  
dam, neque necesse esse putarunt veteres, ut  
morbum per se satis notum et insignem, suis  
significarent signis. Ubiunque enim vomitus  
niger et deiectio nigra supervenerat, morbum  
ex atra bile derivarunt. Quae licet ita sint, ta-  
men hic ea notanda putavi, quae antiquorum  
lectione invenire potuisse.

Quemcunque autem morbum chronicum,  
sine apparente caussa subsistentem, ex melancho-  
lia deduxerunt antiqui. Chronica enim morbi  
indo-

indoles et natura saepe sufficiebat ad caussam melancholicam statuendam; materia enim atrae bilis ingente est tenacitate et spissitudine, et ea de caussa praecipue apta visa est, ut morbos produceret diuturnos.

Morbis autumno ortis aliquid melancholici inest, et tempestas autumnalis atrae bilis in morbis fuit signum. Hipp. de nat. hom. S. III. p. 231. ed. Foëf. Galen. III. aph. 22.

Certissimum humorum signum ex colore haberi testatur Galen. de sanit. tuend. IV. 4. T. 6. p. 121. Comm. in Hipp. lib. de humor. T. VIII. pag. 509. Quare si morbus accidebat homini nigris pilis et fusco habitu, hic ipse color atrae bilis morbi caussam in se continentis fuit signum vid. Alexander l. l. Ne vero medicus hoc coloris signo crebrius decipiatur, Paullus de re med. III. 78. monet, in podagra affectis, si atra bilis caussa est, nigriorem reperiri colorem; at ad firmorem diagnosin multum facere contendit progressa, vinctus et reliqua.

Quocunque exanthema, quocunque ulcus nigro colore ex atra bile factum fuit. Aetius III. c. 132. Paullus IV. 6. 25. 26. et ulceræ insigni in gangraenam proclivitate praedita, ubi color plerumque nigrescit, ex melancholia orta esse censuerunt antiqui, et circa carbunculum, cancrum et terminthos nullam fecerunt exceptionem.

Quidquid autem excernitur nigri coloris, id melancholicum fuit, quare urina nigra in febre acuta cum splene elevato oborta, atrae bilis fuit signum. Hippocr. Epid. I. S. III. aph. 3. et Mercurialis ad h. l. de morb. mulier. L. II. S. V. p. 666. pr. ed. Foës. Pulsus ubi tangitur lentus et tardus, sanguinis motum notat aegrum, et humorum crassitatem; quare hic pulsus atrae bilis peculiare fuit signum. Aretaeus de causs. et sign. diurn. I. 5.

## C A P. II.

Morbi nigri aetiologyam exhibens.

Rerum tractandarum series, et ordo orationis ad caussas, atram bilem procurantes, dicit; facili quidem opera eas adducere potuisse, si consilii fuisset, scriptores exscribere et alterius uti studio. Quod ut evitarem, hanc de caussis tractationem ita institui, ut recentioris pariter atque antiquae aetiologyae haberem rationem, neque hoc mihi sufficiebat; sed cum intelligerem, atrae bilis aetiologyam omnes fere complecti caussas morbificas, neque eas omnes, ob nimis angustos opusculi mei fines, a me rite tractatum iri praeviderem: mecum constitui, universales ponere aetiologyae notiones, bene simul intelligens, quam aptae sint tales ad cognitionem rerum, in experientia positarum, et augendam et firmandam. Est praeterea una atrae bilis forma, a recentioribus fere omissa aut neglecta, quae fortasse nihil fuit, nisi febris biliosa, cum eximia bilis corruptela coniuncta, quam quemadmodum in nosologia haud omittendam putavi, neque in morbi aetiologya omisi.

C 2

Haec

Haec sunt, quae, antequam ad caussas ipsas progrederer, praemittenda putavi.

Divido itaque caussas

I. in eas, quae ex antiquorum sententia humores adurere solent, hoc est, quae dissipatis humorum mobilioribus, efficiunt, ut uniantur immobiliora.

II. in eas deinde caussas, quarum rationem haemorrhoidum et mensium obstructio et retentio continet.

III. in eas tandem, quae nervosum systema praecipue aggrediuntur, et quae per irritamenta varia, spasmos et convulsiones humores ita immutare possunt, ut varias acrimoniarum formas subeant,

IV. in eas denique, quae digestionis praecipue organa laedunt et afficiunt. —

Plus simplici vice dixi, adustionem humorum nihil aliud esse, nisi humorum coagulationem, ubi calore leves partes in humoribus dissipantur, et crassa uniuntur; ita enim explicasse videtur *Gaubius* hanc atrae bilis caussam vid. *Anfangsgründe der Pathologie*, §. 303. Euit vero haec ipsa adustio praecipua arrae bilis caussa; ubicunque enim antiqui atrae bilis iniiciunt mentionem, humores accusare solent superastatos, adustos et in cinerem conversos; ita enim *Galenus* (*Lib. III. aph. 22.*) affirmat, autumnum atram bilem tunc praecipue proferre solere, si

praec-

praecesserit aestas, quae humores iamiam *adussit*, et Paullus IV. I. elephantiasin ex sanguine aut bile, utrisque *superassatis*, deduxit. Adustio igitur praecipua fuit atrae bilis causa, et humorum coagulatio, ab adustione prolata, efficit atrae bilis notionem. Satis quidem haec omnia notant, inter infarcios recentiorum et atram billem antiquorum nullum intercedere diserimen, utrumque morbum eandem supponere humorum constitutionem et naturam, eandemque causam.

Si vero causa proxima in morbis quodcumque est, quod ex antecedentibus simul sumtis efficitur; adustio antiquis fuit causa atrae bilis proxima, ex multis aliis producta, et remotis et antecedentibus et occasionalibus, quas omnes, quemadmodum genus species suas, adustio sub se comprehendit.

Ante omnia autem autumnus hic nominandus est, praecipue, si aestas calida praecessit, quae humores iamiam antea adussit, *Aristoteles I. Probl. XIX. Galenus Libr. III. aph. 22.* Nam si aestate calida transpiratio ita aucta fuit, ut humoris praeter naturam partibus suis levioribus privati essent: facile exinde fieri potest praeter naturalis humorum inspissatio, quae quidem eo magis augetur, si autumnus accessit frigidus, siccus, nec pluviosus. *Hipp. de aere loc. et aq. III. p. 288. pr. ed. Foëf.* Vasa enim calore aducto

debilia et laxa reddita, frigus cito constringit, humores inspissatos, et iamiam adustos, ad intestina propellit, et fit plethora abdominalis: materia autem transpirationis, in corpore retenta, et sanguinis adusti versus abdomen congestio, succos entericos et bilem praecipue depravare solent, magnum enim abdomini et nervis abdominalibus inducunt stimulum, qui diu esse nequit, quin variae acrimoniarum formae producantur, et hinc frequens morborum crassorum et febrium intestinalium intelligitur caussa. Ita *Sandorius aph. 469.* aerem, vasa cutanea claudentem, egregie cum tristitia comparat, quae intrinsecus idem efficit, quod aer extrinsecus retinet enim crassitudinem perspirabilem, et ita ventus autumni meridionalis antiquis noxius visus est, ut apud poetas *plumbeus* plerumque nominaretur auster. Horat. Sat. II. 6. 18. At transpiratio oppressa non unica fuit caussa, cur antiqui hunc morbum autumno praecipue adscriberent; aliam enim adducit caussam, in autumno positam, *Hipp. de nat. hom. S. III. p. 227. ed. Foëf* sanguinis nempe penuriam, quam autumni tempestate se praecipue observasse credit. Sanguis autem si peccat inopia, omni corpori languorem inducit; sanguine enim sano abundans, alacris est, ad quaevis paratus subeunda, quidquid agit, cito et cum nervorum intensitate perficit, et actionum alacritas haud exiguum esse potest signum de functionum

tionum internarum intensitate; haec autem omnia contra fiunt, ubi corpus sanguine caret, circulus praecipue sanguinis aegre, et cum molestia quadam perficitur, hinc facilis stasis, et vasorum obstructio, et si humorum motus prae-  
cavet, ne exoriatur acrimonia in iis: variae acrimoniarum formae ex hoc ipso motu ita aegro et difficulti intelliguntur.

Sed quaeri potest, cur Hippocrates hanc sanguinis penuriam, praecipue in autumno posuerit. Aestate materia caloris expansus sanguis plethoram mentitur, quae autumno cessat cesse-  
fante calore; congestio praeterea si fit: necesse est, ut partes ceterae sanguine priventur, et fiat necesse est in ipsis partibus sanguinis penuria; et ita explicandus mihi visus est Hippocratis locus laudatus; recte quidem observasse videtur Hippocrates, quod in sanguinis penuria atrae  
bilis caussam posuerit, at nollem huius ipsius penuriae caussam in autumno quaerere.

Si vero aeris subita mutatio, quae plerumque autumno fit, idem extrinsecus efficit, quod tristitia intrinsecus: facile intelligi posse credo, animi pathemata ad caussas, adustionem in humo-  
ribus efficientes, pariter posse referri; et si *Aristoteles* *probl. S. XXX. T. II. ed. Genev. p. 1013* va-  
rios animi affectus ex varia deduxit atra bile:  
nobis atram bilem ex animi affectibus derivasse sufficiat. Sunt autem aliae animi affectiones,  
quae

quae, antequam morbosí quid producant, transpirationem opprimunt, huc vero ante omnia metum et tristitiam referendam censeo, quae spasmo quodam cutaneo vasa ita constringit, ut humores versus viscera compellantur; hoc vero non fieri potest, quin materia per pulmones pariter, ac per vasa cutanea eiicienda, et carbonum principium dicta, retineatur, et crassitudo perspirabilium gignatur, talis autem exacte est antiquorum adustio. Frigent praeterea illi, qui metu aut tristitia afficiantur; sanguini enim languor inest, et ob vasa cutanea, spasmo constricta, partes istae sanguinis calore soveri nequeunt, et eadem est ratio obstructionis in viscerum vasis, quam intelleximus ortam ex sanguinis penuria. Ut vero adustio ex tali causa fieri possit, antiqui contendunt, eam diu adesse debere, quippe quae sensim agit, et sensim humoribus atram bilem inducit, vid. Hipp. VI. aph. XXIII. Sunt autem alia animi pathemata, quae vasa cito magis, quam sensim constringunt, et solida cito in spasticos agitant motus, talis enim est terror, ira, laetitia immodica. Quidquid vero sanguinem in maiorem agitat circulum, antiqui ad adustionem referebant, cumque omnes animi affectus, sine aucto humorum circulo, fieri non possint: intelligitur, omnia animi pathemata ad causas, adustionem efficientes, ab antiquis fuisse relata. Sed haec sufficient ad

ad alteram aduersionis caussam intelligendam, neque enim muneris, neque consilii fuit, rem, satis iamiam notam, iterato studio tractare.

Aliam aduersionis caussam omnia complectuntur medicamenta, quae insigni utuntur vi ad vasa constringenda, et humores in iis coagulandos. Eximia quidem est medicamentorum adstringentium et roborantium utilitas in morbis, dummodo in iis tantummodo adhibeantur, ubi necesse est, ut naturae aliquid addatur. At iusto frequentior horum medicamentorum usus non potest fieri, nisi ingentem natura capiat noxam; non enim quaevis debilitas requirit naturae adiumentum; alia certe est debilitas, quae fit ex impedimento, vi vitali obiecto, et alia intelligitur, ubi caussa in imminuta partium solidarum vi, et elasticitate posita esse videtur; et certe male curabit debilitates medicus, qui caussarum, unde ortae sint, non habeat rationem. Crebrior corticis peruviani et ferri usus fecit, ut de his praecipue medicamentis hic sermo esset. Magnum certe utrumque est medicamentum, at si male et inepte adhibetur, nullum est, quod tantam morborum catervam post se trahere soleat, nisi ipse cortex et ferrum. Male in febre intermitte corticem habuit magnus Sydenhamius, neque iniuria, communis enim omnium medicamentorum, insigni contra quosdam morbos virtute praeditorum, fortuna

fuit, ut a medicis iusto largius et empiricorum more exhiberentur, quasi ineffet aliquid specifici, et ad omnes morborum vicissitudines apti, hinc certe tantus corticis peruviani exstitit abusus, quantus unquam fieri posse videtur. Summum in febribus intermittentibus medicamentum apud nos adhuc est cortex peruvianus, in hoc autem multi medici peccare videntur, crebrior enim mihi id observandi fuit occasio, ut a resolventium usu iusto maturius abstineant; per diem enim resolvunt, et per menses corticem exhibere solent: hinc febriles motus, ad materiam solvendam ita salutares, opprimuntur, haud quaquam vero eorum caussa tollitur, materia intacta manet, spasmi exoriuntur, qui materiam magis incarcerare solent; hinc tot infarctuum genera, hinc tot acrimoniarum species, et morbi chronicci.

Ad medicamenta, quae humores adurere possunt, peculiari iure opium pertinet, nocent enim omnia, quae intempestive et praeter rationem exhibentur. Opium autem partes contra stimulos morbosos insensiles reddit, sopiaque vim vividam, hinc eadem producuntur vitia, quae a corticis peruviani abusu procreata animadvertisimus. Notum praeterea est, nisi vis vitalis in humores agat, eosque in animalem convertat naturam, omnes cito putrescere, et variam acrimoniarum formam subire, quod quem-

quemadmodum in humoribus fit, extra circulationis viam positis, idem certe fiat necesse est, post crebriorem opii usum, quod sensum obtundit, irritabilitatem pessumdat, stases humorum efficit eosque insanabiles reddit, inde putredo, inde acrimonia, inde adustio antiquorum.

Neque exigui momenti in ipsa adustione proferenda abusus est potus spirituosi, immoda venus, et febres inflammatoriae. Omnes enim corpus exsuccum reddunt, dissipant partes volatiles in humoribus, coagulantque crassas. *Ill. Weickard Medicinische Schriften, 1. St. p. 76.* puellam vidi novem annos natam, quae ex potu spiritus vini menses est passa; quidquid autem humores in tantum agitat circulum, ut fiat haemorrhagia, hoc ad adustionem efficiendam praecipue aptum esse videtur. De immoda autem venere ipse contendit *Hipp. de interm. aff. c. 47. et Galen. de sanit. tuend VI, 14.* eam corpus exaestuare et humores plus aequo exsiccare, et adurere. Ita *Galenus de atra bile C. 6.* atram bilem meminit ex febrili motu, omnes enim febres, calorque febrilis haud esse potest, nisi humores simul adurantur. Licet praeterea ex communi medicorum sententia motuum febrilium ea sit ratio, ut in caussam agant morbosam, facile tamen intelligitur, hunc a stimulo morbo excitatum motum saepe esse spasticum,

cum, qui vasa constringere praeternaturaliter solet, stases humorum efficit, acrimoniam gignit, et atram bilem ex motu febrili producit.  
*Galen de loc. affect. Lib. III. 10.*

Multae aliae restant caussae, quas adustio sub se comprehendit tanquam species, sed haec, quae iamiam tractatae sunt, sufficere mihi visae sunt, ut pateret, quid intellexerint veteres sub adustione, caussa atrae bilis ita solemnii.

Venio iam ad alteram atrae bilis caussam, ita pariter solemnem et antiquis propriam, ut in hac et adustione omnes fere contineantur caussae, atram bilem gignentes; est autem fluxus haemorrhoidalis et menstruus, de quo hic sermo erit. Dixi, hanc caussam antiquis fuisse propriam, licet recentiores eam haud omiserint. Fuit enim veteribus longe alia de utroque fluxu sententia, quam quae apud nos est. Per haemorrhoides et menses magno cum sanitatis emolumento succus ille melancholicus expellitur, qui, praeter adustionem, quam facile pati potest, etiam non sine sanitatis detrimento in corpore accumulatur, et abundantia sua sanitati diversimode nocere et abesse potest, quod ne fiat, creibius cavet haemorrhoidum et mensum, ex antiquorum sententia, fluxus vid. *Aretaeus I. diut. 5. Galen. VI. aph. 47. Aduarius de method. medendi I. 20.* — Si unquam sententia ex antiquis

quis desunta et ad medicinam recentiorum  
translata noxia fuit, certe haec fuit de salutari  
succi melancholici per haemorrhoides et mensis  
excretionem. Hinc enim orta est inepta illa flu-  
xus haemorrhoidalis cum menstruo fluxu com-  
paratio, hinc perversa illa opinio de fluxu haem-  
orrhoidalii, tanquam sanitatis praesidio. Mag-  
no vero sanitatis humanae emolumento fluxus  
haemorrhoidum a nostris medicis sua privatus  
est auctoritate; morbus enim est, et salutaris  
vocatur, si periculosorem et graviorem et praecavet  
et avertit morbum. At non male utrumque fluxum ad atrae bilis caussas retulerunt anti-  
qui; inest enim utriusque retentioni sufficiens  
caussa ad atram bilem producendam et augen-  
dam; nam fluxus, praecipue menstrui, retentio  
supponit caussam, quae hanc ipsam obstructio-  
nem et retentionem efficit, quaeque mihi praecipue  
apta esse videtur, quaecunque demum sit,  
ut atra bilis dignatur, neque ea de caussa per-  
suasum habere possum, sanguinem, in menstruationis  
abstractione retentum, praecipuam in se  
continere atrae bilis caussam, sed quantum ego  
video, primaria atrae bilis caussa, quae plerumque  
a mensium obstructione et sanguine retento  
deducitur, ex ipsa caussa, menstruationem impe-  
diente, derivanda esse videtur, ita tamen ut  
sanguis retentus accedat tanquam causa morbi  
secundaria aut occasionalis.

Si

Si vero in abdomine facta est plethora: natura per vasa haemorrhoidalia venae sectionem localem instituere solet, egregium saepe plethorae et gravedinis inde ortae levamen; at hic ipse fluxus haemorrhoidalis licet afferat non exiguum aegroti levamen, caussam morbi, et morbum ipsum relinquit intactum; sanguis enim evacuat, ut nova fieri possit eiusdem congestio, qua quidem iterata plethora vasa abdominalia ita distenduntur, ita debilitantur, ut quo crebrior fiat congestio, eo maior plethora existat. Natura, nimis fortasse provida, iterata intedit venae sectionem per haemorrhoides, sanguinem evacuat, cui tamen valde parcendum esse videtur, et ea de causa chronicos infert morbos; ex plethora enim fiunt infarctus, ex caussis plethorae oriuntur acrimoniae et ita atra bilis. Atra bilis igitur gigni potest, licet egregie fluant haemorrhoides, succi melancholici retentio in caussa est, ut oriatur atra bilis.

Quae cum ita sint, valde superfluum vide ri possit demonstrandi studium, antiquitatis opinionem de excernendo succo melancholico, et sanguinis faece per menses et haemorrhoides, fuisse falsam, praecipue cum omnium recentiorum decreta in eo convenient, ut per haemorrhoides et menses nullo modo expelli quid morbos contendant. At video Cl. Weberum Helcologie

cologie p. u7. istam antiquorum sententiam renovasse, neque ab instituti ratione alienum visum est, quaedam de hac ipsa Viri illustris theoria proferre.

Negat vir Cl., plethoram sanguinis puri in causa esse, ut producatur menstruationis negotium, neque enim per diaetam antiphlogisticaam, neque per haemorrhagias alias, neque per venaesectionem abigi potest fluxus iste menstruus, et foeminae sanguine carentes pariter huic fluxui obnoxiae sunt, ac plethoricae, et sanguine abundantes. Abunde quidem haec omnia docent, menstruationis causam et periodum adhuc latere, et nullius medici ingenium et studium eo penetrasse, ut explicare posset, quibus legibus menstruatio esset subiecta; at nullo modo ea docere mihi videntur, menstruationis officium in depurando sanguine contineri, quemadmodum putat *Ill. Weber*.

Si retentio sanguinis puri et insontis unicus esset effectus mensium obstructionis, quaerit Cel. Weber, unde fiant tanti morbi ex hac ipsa obstructione, qui venaesectione haud curantur, qui vero pauxillo sanguinis per uterum stillicidio tolluntur et removentur. Quaecunque autem menstruationis retentio supponit causam, ut iam antea dictum est, ex qua oriri potest tale impedimentum, cuius quidem causae ratio ea plerumque est natura, ut neque per  
venae-

venae sectionem, neque per dictam antiphlogisticam removeri possit, talis enim caussa est, quae infarctibus, vermibus, spasmis, cet. continetur. Iam vero oritur sanguinis per uterum stillicidium, quod quidem satis significare videtur, impedimenti caussam iamiam esse sublatam, et morbus cessat, quia caussa remota necesse est, ut effectus etiam cesserent. Quae cum ita sint, facile elici posse videtur, cacochymias illas, quae plerumque ex menstrui fluxus retentione oriri solent, nullo modo ex retenta sanguinis faece esse derivandas, sed ex caussa ipsa, hanc retentionem efficiente, quae quidem plerumque talis animadvertisit, ut ex eius natura humores variо modo depravari et corrupti posse intelligantur. Ne vero mihi aliquis obiiciat, hunc ipsum sanguinem, qualicunque sit natura, aut faculenta aut insonte, omnino morbos, ex retentione mensium ortos, augere posse; libenter enim id concedo, dummodo haec ipsa sanguinis retentio ne habeatur tanquam caussa primaria morborum prodeuntium, sed tanquam caussa occasionalis, morbo superveniens, quae omnino difficultorem et molestiorem reddere potest morbum.

Iam supra a me notatum est, ordinem caussarum esse ponendum, qui eas contineat caussas, quae nervosum sistema praecipue aggreditantur, et ita atram bilem procreare solent.

Primus

Primus huius ordinis auctor mihi exstitit Cl. *Sauvages*, qui morbum nigrum Hippocratis febrem nominat nervosam. Erravit quidem vir iste illustris vid. *Vogels Handbuch der praktischen Medicin* Th. 2. pag. 81. at tanti in arte sua viri error mihi eximiam praebuit occasionem, rem magis cogitandi, magisque inquirendi. Nam si nervosi systematis affectio in caussa est, ut morbus nominetur nervosus: tunc certe omnes morbi ad nervosorum genus referendi esse videntur, quippe nullus esse potest morbus, qui nervosum systema vario modo non afficiat, et in consensum trahat. Quod tamen fieri nequit, nisi eximia rerum diversarum exoriatur confusio. Quare neque eos morbos nominandos censeo nervosos, quorum natura ex peculiari nervorum irritatione pendet; saepe enim mihi observandi fuit occasio, morbos ex tali nervorum irritatione ortos fuisse, qui tamen vere nervosi non erant; talis enim est icterus, quem tamen nemo nominabit morbum nervosum, et talis certe saepe est morbus niger Hippocratis, quem ea de caussa Cl. *Sauvages* perpetram ad nervosos retulisse videtur morbos.

Morbum vero nigrum Hippocratis vomitusque atrae bilis saepe ex sola nervorum irritatione pendere, multa sunt argumenta, quae mihi probare videntur; neque antiqui hanc atrae bilis caussam ignorasse videntur, cum ipse Hippocrates

*pocrates de loc. in hom. C. 13.* in atra bile radicem mandragorae commendavit, medicamentum, quod eximia sua antispaistica virtute valde laudatur.

Nervorum vero irritationes, a quocunque demum exoriantur causa, humores ita depravare posse, ut in virus abeant, et atrae bilis antiquorum naturam subeant, non unica est observationio, unde probatio desumi potest. Satis enim notum est, et iterata observatione comprobatum, in stomacho saepe gigni acrimoniam acidam, absorbentibus et antacidis haud vincendam, sed solis antispaisticis curandam. Contigit mihi praeterea, ut phthisin observarem pituitosam, ex materia rheumatica, partes internas pertente, ortam; tantam vero in hac phthisi intellecti pituitae acrimoniam, ut fauces acrimonia sua roderet, quae ita laesae tantum aegroto molestiam intulerunt, ut contra anginam ita molestam levamen enixe peteret. Ita saepe in pestis principio oriuntur vomitus atrae bilis, qui ex peculiari nervorum irritatione provenire solent vid. *Ill. Selle Pyretolog. p. 312. et scriptores ibi citatos;* et bilem, ex hac ipsa nervorum irritatione saepe praeternaturaliter coloratam, in febris animadvertisit *Ill. Selle l. c. p. 346.* Neque alia ratio vomitus atri, in febre americana obvii, mihi fuisse videtur, qui quidem tertio morbi die advenit periculosum morbi signum. Hanc enim febrem

febrem ad eos pertinere morbos, qui ex nervorum irritatione oriri solerent, non unica fuit caussa, cur id persuasum haberem; maxima enim adfuit aegroti inquies, insuperabile insomnium, ventriculi irritabilitas incredibiliter aucta, quae nullo alio remedio sedari potuit, nisi vesicante, quod materiam, assiduo stimulo stomachum irritantem, abducit, et infuso florum Chamomillae, quod inexpectatam in morbis spasticis saepe ferre solet opem, vid. Blane Beobachtungen über die Krankheiten der Seeleute, aus dem Engl. 1788.

Haec vero observata sufficient, ut intelligatur, nervorum irritationes humores valde depravare, et atram bilem in iis procreare soleare. Sed quaeri potest, unde tantae nervorum convulsiones praeципue orientur. Inexhausta autem est caussarum multitudo, neque ad instituti rationem pertinere videtur, ut omnes commemorare allaborem. Nominasse igitur sufficiat acrimonias illas specificas seu incognitas; nam specifici et incogniti in medicina eadem est notio. Ipse autem cum adhuc Berolini sub Ill. Fritz in nosocomio praxin facerem, vomitum atrae bilis ex tali caussa ortum vidi. Morbi istius historia tota huc quadrat, et cum ipse eam observarim, liceat eam hic uberius describere. Fuit autem aegrotus antea venereus, et sine ullo morbi levamine ex tonsorium manibus in-

gentem ingessit mercurii copiam; in nosocomium devenit maculis venereis tectus. Dissimulare studuit mala sua male pudicus aeger. At III. Fritzii oculis haud subterfugit dissimulati morbi natura. Maculae istae brevi cessabant, et aegrotus nimis securus, invito medico, nosocomium reliquit, ex parte tantum sanatus. Post ter quaterve septimanas hydropicus idem venit homo; insignis fuit ventriculi irritabilitas, omnia medicamenta vehementer vomitu reiiciens. Acrimonia venerea praecedens, morbus imperfecte curatus, et stomachi irritabilitas valde aucta satis mihi notabant, hunc morbum ex nervorum irritatione et systematis lymphatici pendere stimulo. Quare ante omnia opium cum diureticis adhibui, at reiiciebat aegrotus medicamentum; externe lenimentum antispasticum adhibui, quod aliquid attulit levaminis. Secundo die postquam in nosocomium delatus fuerat aeger, in dextro crure vidi inflammationem erysipelatosam, et mortem instare iudicavi, eodem die vomitus advenit atrae bilis et postero die mortuus est; nam extenuatis et male sese habentibus exitus atrae bilis letalis. *Hipp. IV.*  
*aph. 22. 23.* Aperui cadaver omnia sana inveni. Infarctus praecipue abdominales quæsivi, quia in his hydropis caussa plerumque ponitur, at nullos inveni. Quis igitur neget, hunc vomitum ex peculiari ortum fuisse nervorum irritationem,

tione, et hydropem istum ex systematis lymphatici stimulo pependisse? Quicunque fortasse vomitus atrae bilis, quos Hippocrates semper extiales fieri censuit, ex tali nervorum irritatione, ~~fumum~~ iamiam stimuli fastigium evadente, pendent.

Postrem hic uberiorem de acrimonii specifis inferere tractationem, cum ceterae omnes, pariter atque acrimonia venerea, atram bilem proferre et efficere possint; nam ex arthritica materia vomitum atrae bilis factum memorat Ill. *Selle pyretol.* p. 321. et *Swieten. Comm. ad aph.* nro. factam atrae bilis crisi refert per scabiem restitutam. At quidquid de una valet acrimonia, id etiam de ceteris affirmari posse videtur.

Sed quaeri potest, an eadem ratio sit vomitus atrae bilis, ubi infarctus simul abdominales intelliguntur. Sic videtur; omnes enim fere morbi, qui vasorum in abdomen obstructioni plerumque adscribuntur, potius ex nervorum irritatione inde facta derivandi esse videntur. Nam si infarctus ad morbos istos procreandos sufficerent: certe non intelligerem rationem, cur eadem causa diu in corpore latere posset, sine apparente effectu. Quare si vomitus melancholicus sit ex infarctibus abdominalibus: necesse autem est, ut materia infaciens acrimonię quandam adipiscatur, quae nervis spasmum aut convulsionem inducit; humorum au-

tem motus impedit, quo minus acrimonia praevaleat; qui vero si cessat: humoris stagnantis facile fieri potest acrimonia, *Gaubius Pathologie* §. 298. aut si acrimonia non accedit: necesse tamen est, ut partes solidae ita sensiles sint redditae, ut ex sola vasorum obstrukione spasticos patientur motus. Idem intellexisse videtur *Chambon de Monteaux von den Krankheiten der Frauenzimmer*, 2. B. p. 343. qui splenitidem non ex solo impedito atrae bilis motu derivandam censet, sed ex materia acri et irritante, quae in nervis convulsionem efficit.

Quamquam haec omnia crebiorem atrae bilis ex stimulo, nervis illato, ortum notare videntur: sunt tamen et alia argumenta, cur hanc praecipue atrae bilis caussam assumam. Magna enim est affinitas inter morbum nigrum et malum hypochondriacum, quae quidem *Aretaeo diut. 1. 5.* tanta est visa, ut contenderet, utrumque morbum unum esse eundemque. Ne vero mihi quis dicat, omnes hypochondriacorum querelas ex infarctibus provenire; est enim mali hypochondriaci quaedam forma, ubi infarctus haud intelliguntur, et ubi neque alia apparet causa, cui tanti tribui possint effectus. Scio quidem istam formam negari a multis medicis, qui intelligere nequeant, quomodo effectus esse possit, ubi causa haud intelligatur apparens. At certe est quaedam nervorum sensibilitas

bilitas ita aucta, et a multis inter se diversis sensim producta caussis, quae omnem hypochondriasis naturam continere videtur. Non enim omnes, de infarctibus abdominalibus querentes, sunt hypochondriaci, neque omnes hypochondriace affecti abdomen habent infarctibus impletum; sensibilitas itaque aucta est, quae in morbo hypochondriaco omnem pervertit sensum, et in qua omnes hypochondriacorum continentur querelae. Iam vero si ad hypochondriasis naturam haec sensibilitas morbosa requiritur, et si morbus niger magnam cum hoc ipso malo habet similitudinem: intelligitur, atram bilem, et vomitum atrum, qui saepe etiam in hypochondriasi observatur, ex aucta sensibilitate et spasmis inde ortis proferri posse. Scio praeterea morbis crassis praecipue obnoxios esse tales, qui irritabili ex natura sunt tempore; quaecunque enim aëris mutatio, quaecunque caussa morbosa facile cum hac nervorum constitutione communicatur, spasmi oriuntur ex levi caussa, et ingens irritamentorum cohors ex tali nervorum sensibilitate provenit.

Et licet haec omnia nihil, aut parum probassent: adsunt tamen observationes, ubi vomitus ater, et deiectio atra cito et improviso prouenerunt. Nulla enim adsunt signa, quae medicum in inquisitione caussae chronicæ ducere possint, saepe nulla alia intelligitur caussa, nisi

talis, quae cito oriri solet, et stimulo suo nocere potest, quemadmodum sunt animi pathemata. Vomitum atrae bilis ex ira ortum memorat *Ill. Mezler von der schwarzgallichen Constitution.* At dicat aliquis caussam adesse posse chronicam, licet eam non intelligat medicus. Impedit autem observationum sinceritas, quo minus in morbis cito et praeter rationem obortis caussam assumamus chronicam, quippe quae sensim orta, sensim etiam functiones laedit, et morbus cito et improviso obortus ex tali caussa pendere nequit.

Iam vero iudicent viri docti, num haec argumenta sufficient, ut statuam, atram bilem saepe ex tali nervorum irritatione pendere. Ego quidem huic tractationi ulterius inhaerere nequeo, quippe qui iam satis fecisse mihi video, si res magni certe momenti a me non plane omissa est.

Concoctio laesa ab omni tempore tanquam prima morborum origo habita est; neque id inepte factum esse videtur; ex abdomen enim, in medio corporis posito, ad omnes partes devenit, et sanitas et morbus; et ab omni caussa morbosa, huic vel illi parti allata, ita affici et in consensum trahi potest abdomen, ut eximia in eo exoriantur vitia. Neque igitur mirum esse videtur, cur in concoctione laesa atrae bilis contineatur haud exigua caussa. Omnes autem caussae,

caussae, quotquot sint, quae concoctionis negotium aut pervertere aut vitiare possunt, eadem etiam atrae bilis genesi valde favent. Quae cum mecum reputarem: has caussas in tractatione de caussis atrae bilis nullo modo omittendas duxi. At mox intellexi, talem tractationem omnes fere complecti debere morborum caussas, quorum vero historiam opusculi mei inauguralis limites haud continere possent. Quare has omnes omisi, praecipue cum istas intelligerem in recentiori medicina eximie esse tractatas et expositas, et ita finem aetiologyae atrae bilis imponere potuisse, nisi mihi caussa laesae concoctionis et atrae bilis obvenisset satis quidem digna, quae uberior tractetur.

Ex eo enim tempore, ubi praxin Berolini facere inciperem, crebrior mihi fuit observandi occasio, medicamenta solventia et evacuantia male plerumque adhiberi ab iis, qui licet artis mysteriis non sint imbuti, tamen ad artem faciendam se destinatos et a natura vacatos credant. Hinc factum esse crebrius observavi, ut nullus in nosocomium deferretur aegrotus, qui non antea iamiam, magno plerumque detrimento suo, aut purgasset aut vomuisset, nam quicunque morbus, ita enim tonsores et circumforanei ratiocinantur, solventibus et evacuantibus non cedens, aliquid divini habet, er diurna opus est curatione. Saepe igitur vidi febres catarrha-

les, rheumaticas, evacuantibus remediis corruptas, et ambigua indutas natura; vidi febres intestinales, ex praepostera evacuatione ita degeneres, ut dubium exoriretur, utrum esset febris nervosa, an mesenterica et faburralis. Tanti enim aderant intestinorum spasti et debilitates, tanta virium deiectio, et motus naturae ita perversi, ut nulla fieri posset materiae concoctio, et ad evacuationem praeparatio. Quae cum ita sint: semper credidi, hunc solventium et evacuantium usum ita ineptum crebriorem esse caussam laesae concoctionis, et hunc ipsum ea de caussa atrae bilis feminium ponere.

Concoctionis vitia, a qualicunque demum caussa orta, et inde omnes atrae bilis formae si unquam fuerint solemnes, certe apud nos sunt. Satis et abunde mihi id semper probavit character febrium gastricus, ita apud nos frequens, ut raro sit febris, quae aliam habeat naturam nisi gastricam, et nullus fere sit morbus, ubi evacuantium usu omnino supersedere possimus. Semper quaesiverunt medici, num apud nos peculiaris inveniretur caussa, concoctionis functionem praecipue pervertens et corrumpebans; alii enim eam invenisse se credunt in gulae illecebris, quibus nostri praecipue dediti esse videntur; alii in venere immodica eam ponunt. Cum vero has ipsas caussas ante nos etiam adsuisse intelligerem: concoctionis laesae vitia,

vitia, et atrae bilis caussam in ipsa gastrica morbis medendi methodo esse quaerenda visum est, a quo quidem vitio recentior medicina non longe abesse videtur.

Eximus pariter atque isto frequentior est solventium et evacuantium usus, nam quidquid in medicina crebrius iuvat, id semper prodest censetur; non enim quaeviis sordium in primis viis accumulatio indicat methodum gastricam, neque omnis febris cum faburrae signis febris est gastrica. Obvenit mihi quondam aegrotus febre detentus; signa faburrae fecerunt, ut morbum nominarem gastricum, et tractarem gastrice; bene tulit aegrotus methodum, at mox redibant eadem signa, eademque faburrae indica, et quaeviis evacuatio crebrius repetita morbum effecit et graviorem et difficiliorem; spasmus praecipue ventriculo advenit, et ab evacuatione abstinui, hoc ipsum ventriculi symptoma a medicamentis desumens, et mox vidi morbum adhuc in tenebris latere. Febris hecticae signa advenerunt, debilitas, sudores, vires frangentes, febricula pulsus spasticus, et vespere febris exacerbatio. Memini adhuc, quantum in his ipsis symptomatibus trepidarem, morbi naturam adhuc ignorans. Intellexi quidem materiam adesse, nervos irritantem, per primas vias haud evacuandam, quae febris in se continet naturam; at latuit materiae natura. Quaesivi  
reme.

remedium, quod omnia excretionum organa  
aperire posset, ut natura ipsa matariam, quali-  
cunque esset natura, evacuare per ea valeret,  
et tartarum emeticum refracta dosi adhibui.  
Febris ingravescebat; medicamentum continua-  
vi, et mox sub his naturae moliminibus sudores  
provenerunt critici, ita oientes, ut putredinis  
odor non posset esse detestabilior, et postero  
die aegrotus sanus evasit. Nullum unquam ob-  
servavi morbum, cuius observatio mihi maiori  
fuisset utilitati, nisi haec ipsa febris; cognovi  
enim, febrem cum faburra non semper esse  
gastricam; cognovi, in ipsis morbis gastricis non  
semper sufficere methodum evacuantem; certior  
denique factus sum, in morbis gastricae indolis  
causiarum praecipue remotarum medico ratio-  
nem esse habendam. In aegroto, cuius historiam  
inserui, causa sordium fuit transpiratio suppres-  
sa; necesse itaque fuit, ut fordes quidem evacua-  
rem; quo autem facto, transpiratio adiuvanda  
fuit, fortasse hoc medici munus ipsa perfecisset  
natura, ut satis notabant sudores symptomatici;  
at ego hoc salutare naturae conamen, evacua-  
tione semper perturbavi et impedivi, quo mi-  
nus id rite fieri posset, et vellem, ut nil potius  
fecisset, quam ut temere egisset.

Audivi praeterea, quosdam esse medicos,  
qui peculiari morbos curandi gauderent metho-  
do; iactant enim isti methodici, morborum  
multitu-

multitudinem ad paucas a se relatam esse notiones, sine quibus talis methodus existere non posse videtur; practicum medici ingenium, practicamque dexteritatem in eo ponunt tales methodici, ut quisque sibi methodum elegerit, cui morborum curationem subordinandam censem, neque tamen reputare solent, morbos non methodo, sed methodum morbis esse conformandam et subiiciendam. Inde certe saepe fieri solet, ut medici reperiantur, qui omnem morbum gastricum nominent, et gastrice tractent, aut qui omnes morbos ex infarctibus abdominalibus deducendos putent. Omnis istorum medicorum methodus in resolventibus et evacuantibus continetur, omnesque morbos gastrice tractant, licet gastricum non habeant characterem. — Egregium quidem in practica medicina videtur studii levamen talis morbos curandi methodus, dummodo ne adhibetur crebrius eximio sanitatis humanae detimento. Tales enim, qui omnes morbos gastricos habent, et gastricae methodo subiicere conantur, vario modo peccare videntur; peccant enim, quod abdomen partesque, eo contentas, communem omnium morborum crisi constituant; peccant deinde, quod resolventia et evacuantia in ipsis morbis fabrallibus praeter rationem continuant, et methodum gastricam nimis extendunt; quod quidem utrumque concoctionis mechanis-

mum

mum eximie laedit et debilitat. Resolventia, et evacuantia intestinorum sensibilitatem stimulo suo morbose augent, et in spasmos disponunt. At vero dummodo concoctio laesa sit, et motos spasticos patientur partes per se ita sensiles: tunc sufficiens ratio adesse videtur, ut atra bilis producatur, et morbi crassi exoriantur.

Haud semel praeterea observavi, multos esse, qui in quibusvis aegritudinibus alvum sibi ipsi purgent, et salia media et neutralia ad ea pertinere remedia, quae in domestico usu sint posita; quorum tamen usus crebrior fieri non potest, quin concoctio laedatur, acrimonia dignatur, et partes, abdomine contentae, ita stimulentur, ut quaevis materia, per alias excernanda excretiones, huc deponatur, et organa ista iusto crebrius morbose afficiantur. Saepe enim natura sine stimulo allato faburram promovere solet, et male sanitati suae consulunt, qui quascunque fordes ingenti tumultu proiicere conentur.

Haec ipsae observationes fecerunt, ut non exiguum atrae bilis caussam apud nos fortasse non minus solemnis, quam apud antiquos, in purgantibus et solventibus ponerem. Hae ipsae observationes fecerunt ut haec medicamenta magna cum cautione adhibenda putarem; quae si semel inepte et praeter rationem data sunt: morbum

morbū in tempus trahunt, et complicatum,  
hoc est difficiliorem curatu efficere solent.

Ita ergo ordinandas censui atrae bilis causas. Scio quidem, a me non omnes esse prolatas; haud tamen vereor, ne ea de caussa in vituperium doctorum virorum incurrat iuvenilis ingenii et studii imbecillitas: integrā enim morbi atri et atrae bilis descriptionē dare non potui, quae certe longe fusior facta esset, quam quae pertractari posset exiguo, quod mihi concessum erat, temporis spatio.

Restat iam, ut de medicamentis iudicem, quae ab antiquis contra atram bilem laudata et adhibita esse viderim.

## C A P. III.

De morbi atri curatione ex anti-  
quorum sententia.

Scio equidem, non paucos esse medicos, qui  
sui temporis inventis ita superbire soleant, ut,  
quidquid boni habeat medicina, suo tribuant  
tempori, et venerandae antiquitati omnem de-  
rogare studeant auctoritatem ac prudentiam.  
Ita haud pauci inveniuntur, qui negent, vete-  
res novisse, quid essent infarctus abdominales.  
Quidquid enim in hoc morbo ita frequenti cogi-  
tatum bene, et scriptum egregie est, ex solis  
recentiorum libris desumendum censem, rident-  
que eos, qui in atra bile antiquorum aliquid  
invenisse se credant non plane absolum et dissi-  
mile. Verum quidem est, antiquos non in-  
farctuum nomine usos esse ad observata sua signi-  
ficanda; at in monumentis veterum explicandi  
ne quis verba magis agitet, quam res ipsas: res  
enim nomine diversae haud quaquam sunt sem-  
per dissimiles re ipsa. Comparatio Hippocrati-  
cis atrae bilis cum haemorrhoidum fluxu haud  
quidem probare videtur, eum bene novisse om-  
nia

nia infarctuum genera. Notum enim est, Hippocratem hanc comparationem ea de causa instituisse, quia per haemorrhoides atram bilem naturalem excerni credidit; et nemo fortasse est, qui tale ponat argumentum, ut contendat, atram bilem antiquorum nihil fuisse, nisi infarc-tus recentiorum. Et, si praeterea antiqui, quia circulationis leges nondum cognoverint, infarctus abdominales ignorasse creduntur, nescio certe, an tanta a medico requiratur circulationis cognitio, ut intelligat, vasa in abdomen posse a sanguine spissso obstrui.

Quae cum ita sint: semper mihi valde fuit probabile, veteres non exiguam habuisse cognitionem infarctuum abdominalium, dummodo ea attento legas animo, quae de atra bile ab ipsis scripta et observata sint. Haud exiguum meae sententiae argumentum ipsa atrae bilis curatio exhibet, quae quidem tota in eo versatur, ut sanguis inspissatus et adustus, vasa infaciens, resolvatur, et cum circulationem sanguinis fani inire denuo nequeat, educatur. Libenter autem largior, medicinam recentiorem, sanioris therapiae regulis nixam, his indicationibus et prudentius, et melius satisfacere; quidquid enim medica cognitio habeat eximum et perfectum, ex observationibus, et experientia praecipue pendet, eiusque excellentia for-tasse annorum serie magis, quam ingenii acumi-

ne perficitur; neque inde mirum esse videtur, antiquitatem aegrotis suis, infarctibus, aut atrabilis laborantibus, male saepe consuluisse.

Primaria atrae bilis caussa fuit adustio humorum, eorumque coagulatio, et inspissatio; quare antiqui, cum hanc morbi caussam praecipue cognovissent, ea omnia in adustione iamiam facta cavere putarunt, quae humores maiori afficere possent adustione. *Hippocrates* figitur *de morb. II. 29.* abstinendum censuit a vino meraco, cibis acrioribus, validis exercitiis, calidis lotionibus, a solis aestu, ab iis omnino omnibus, quae humores fervidos reddunt, et adustionem in iis efficere possunt. At vero, cum ipsam adustionem, non solum ex dissipazione partium in humoribus mobiliorum fieri posse intelligerent, sed etiam eam saepe factam observassent ex quacunque alia ceussa, quae humores inspissare et in cinerem quasi convertere posset: ea omnia *Hipp. de rat. viet. in acut. S. IV. p. 404. ed. Foës. de morb. II. 9.* caveri iussit, quae concoctu difficultia sunt, et humores ingenti crudorum succorum copia implere, depravare et inspissare possent. Quibus quidem omnibus bene cavisse videtur Hippocrates, ne in humoribus nasceretur atra bilis; at vero nullo modo intelligitur, quomodo ipsa atra bilis, in humoribus iamiam orta, et resolvi et curari posset; et nimis certe pauca habet Hippocr. de iis medica-

men-

mentis, quae atram bilem resolvere possint, et in eo multi veteres mihi peccasse videntur, quod materiae evacuationi magis intenti fuerunt, quam resolutioni, et ad evacuationem praeparationi.

Scio equidem, Hippocratem *de morb. mulier. II. S. V. p. 666. ed. Foës.* cucumeris agrestis partem interiorem commendasse; quid vero efficere posse credatur medicamentum ita infirmum contra materiam, immensa tenacitate vasis adhaerentem? At ne iniuriam intulisse videar venerandae antiquitati, concedendum sane est, veteres in humoribus diluendis et resolvendis magis diaeteticis inhaesisse regulis, quam medicamentis, eximia virtute resolvendi praeditis, et nescio certe, an ab antiqua medicina id melius factum sit, quam a recentiori arte, quae resolventibus omnem tribuere solet efficaciam. Remedia enim diaetica, licet blande, sensim et sine effectu apparente agere videantur, sua tamen habent bona in morbis praecipue chronicis, ubi curatio diurna, et immensa medicamentorum farrago necessaria esse solent; nescio enim, utrum tutior magis placeat curatio in morbis chronicis, an celerior et cum morbi secundarii periculo suscepta. Id quidem persuasum habeo, per resolventia, crebrius et iterata dosi propinata, digestionem saepe ingentem capere noxam, quae haud raro tanta esse solet, ut morbus secundarius et gravior et molestior eva-

dat primario. ~~solido~~ Remedii medicamentosi dicti, ut a diaetetico distingueretur medicamento, ea est natura et indoles, ut graves et insolitos edat effectus, qui vero crebrius fieri nequeunt, quin natura iusto crebriori tumultu agitata et pver-tatur et pessumdetur. Optima igitur semper mihi visa est Galeni regula ad Glauc. I. II. qui in morbis chronicis et febribus quartanis medico et blandam et mediocrem suasit curationem, quae quidem remediis diaeteticis optime peragitur, quippe quae a naturae legibus parum aut nihil recedunt, et naturam magis ducere, quam cogere videntur.

Liceat vero mihi contendere, veteres in eo crebrius peccasse, quod medicamentis, atram bilem evacuantibus, parum caute usi fuerunt. Antiquitas helleboro suo peculiarem et fere specificam vim contra melancholiam tribuere solebat; quae quidem observatio fatis mihi probare videtur, veteres helleboro in morbis melancholicis iusto crebrius abusos esse. Scio equidein apud nos etiam draftica in infarctibus propinari tanto saepe cum eventu, ut ingente proiiciatur tumultu materia, morbi caussam in se continens; at talia medicamenta a nostris medicis certe raro praescribuntur, et nunquam propinari posse videntur, nisi medicus ambiguo pugnare velit Marte, et vitae discrimini exponere sanitatem humanam. Vis vero hellebori purgans

gans non unica fuit ratio, cur eum in morbis melancholicis ita commendarent antiqui; notum enim est, huic medicamento, quemadmodum omnibus ceteris, drafstice purgantibus, praeter vim omnia excretionum organa stimulantem, inesse eximiam facultatem, haemorrhoidum et mensium fluxum et promovendi et pellendi; quae quidem medicamenti virtus praecipue in caussa fuisse videtur, cur helleborus iusto crebrius in morbis melancholicis a veteribus adhibitus sit. Constat enim ex morbi atri aetiologya, antiquos persuasum habuisse, per menses et haemorrhoides succum educi melancholicum, et ex eius retentione oriri atram bilem; quare ubique cunque atram bilem intellexissent, haemorrhoides per helleborum et promovendas et excitandas esse crediderunt. Hinc factum esse credo, ut multi recentiores in infarctibus abdominalibus haemorrhoidum fluxum tanquam naturae beneficium habeant. Triste certe beneficium. Nihil enim et periculosius, et deterius suscipi atque effici posse videtur, nisi hunc fluxum et excitandi, et per pellentia temere promovendi conamen. Scio equidem, fluxum haemorrhoidalem promoveri posse, si vitae periculum imminet, aut periculosior ex eo retento minatur morbus; at ne crebrius id fiat peilientibus, quae sanguinem exaestuant, spasmos inducunt, stimulantque partes solidas, et morbum ipsum et

E 3 cura-

curatu' difficiliorem et toleratu' molestiorem reddunt. Miror certe, quod in mensium et haemorrhoidum retentione pellentia in tanto usu posita sunt a nostris adeo medicis, ut ubi cunque eam observarint, per haec drastica et pellentia praecipue promovendam censeant; nullum enim effectum cogiteri posse credo, nisi intelligatur caussa, quae huius effectus in se continet rationem; quare contra caussam obstructionis potius curationem censeo dirigendam, et quae pellentia dicuntur, quia naturam magis cogunt, quam ducunt, aut exterminanda existimo, aut, si nos iis in praxi supersedere non posse videamur, certe raro et caute adhibenda esse contendo. Semper autem solitos sum, ubi cunque inveneram in medicina aliquid male et perperam factum, eiusdem erroris caussam anquirere; ita invenisse mihi videor caussam, cur mensium et haemorrhoidum obstructio per pellentia plerumque curari soleat; nunquam enim et menses et haemorrhoides promoventur, nisi aegritudines variae ex hac ipsa retentione ortae sint, quare facile fieri potest, ut caussa habeatur, quod morbus est, et mensium et haemorrhoidum obstructio magis spectetur tanquam caussa, cum tamen sit morbus, qui caussam, unde devenerit, supponit aliam. Igitur menses, et haemorrhoides obstructae, quocunque de mun modo fieri potest, promoventur, caussam enim

enim tollere idem est, ac morbum curare. At haec ipsa caussae cum morbo commutatio ratio mihi esse videtur, cur medicis saepe nihil fiat molestius, et factu difficultius, nisi haec ipsa mensum et haemorrhoidum restitutio; caussam enim retentionis parum anquirunt, et per pellentia naturae haemorrhagiam potius extorquere solent, quam menstruationem et fluxum haemorrhaidalem.

Veteres, cum saepe in atra bile spasticos viderent motus, hos omnino anodynus sedandos putarunt; notum enim est, *Hipp. de loc. in hom. C. 13.* radicem mandragorae commendasse. Sed nescio, annon illa atrae bilis species quae ex nervorum irritatione oritur, innotuerit veteribus. Hoc quidem certe scio, *Paul-lum Lib. VI. 2.* cauterem spleni adhibendum putasse, licet de eius efficacia male iudicasse videatur, quippe qui credat, per crustam, in cute factam, educi succum melancholicum. Notum enim est, per irritationem, in alia parte factam, saepe tolli spasmus et irritationem in viscere remoto. Cauterisatio igitur eximum certe fuit remedium, dummodo in ea atrae bilis forma adhibitum sit, ubi atrae bilis caussa in acrimonia consistit, quae assiduo stimulo partes vexat, spasmos efficit, et humores depravaré solet; videtur enim hic ipse cauteris usus idem efficere, quod fonticulus in phthisi pulmonali,

ab acrimoniae stimulo producta; avertit enim acrimoniam, et ita morbi perficit curationem.

Neque omittendum ibi putavi, *Aetium L. VI. c. 10.* in atra bile remissionem ab omnibus medicamentis commendasse; haec ipsa enim regula haud parvi visa est momenti in morbis chronicis, et atra bile curanda, licet non pauci sint medici, qui eam omnino negligant. Quaecunque autem morbi sanatio, ab ipsa effecta natura, semper mihi et tutior et melius facta esse videtur, quam si solis perficitur medicamentis. Ista autem naturae conamina ut rite fieri possint, necesse est, ut natura in opere peragendo stimulis extrinsecus allatis haud perturbetur, quare, dummodo materia vasa infaciens apta sit redditia, ut natura vires suas in eam exferere possit, tunc ab omnibus omnino medicamentis abstinentur esse videtur, quippe materiae coctio a sola perfici potest natura. Quodcunque praeterea medicamentum praeter-naturale est, et effectus prodit praeternaturales; quare ea per tempus exhiberi nequeunt, quin sensibilitatem et irritabilitatem reddant inertem, et morbum per se chronicum cum diuturniorem cum curatu difficultiorem faciant. Scio praeterea, remedia adeo efficacissima, si diu et iterata dosi exhibeantur, ita fieri inertia, ut natura ab iis nullas patiatur ulterius immutations. Ita in nosocomio Caritatis Berlinensi vidi matronam, spas-

spasmis hystericis subiectam, cuius natura opii  
viribus ita assueta fuit, ut quotidie ingentem  
eiusdem medicamenti copiam sumeret. Quae  
cum ita sint: profecto necesse esse videtur, ut  
medicus in atra bile ab omnibus interdum me-  
dicamentis abstineat, ne natura tanto subinde  
induatur torpore, ut cuiuscunque stimuli pa-  
tiens, a nullo medicamento possit  
excitari.

~~65~~ ~~PERMISI INTEGRA DEDICAO~~

lio etiam amio, maſſeſtia aſtrayſt, etiamq[ue] obſeruari, et h[ab]ere in ſuam etiamq[ue] audiri, et h[ab]ere in ſuam etiamq[ue] emendanda.

P. 5. l. 1. pro O. l. C. l. 9. l. quot l. 20. l. depravationis. p. 7. l. 6. l. extremitatum. p. 8. l. 4. pro O. l. C. l. 16. l. 1701. l. 19. del. fuisse. p. 10. l. 21. del. punct. p. 11. l. 20. l. Chart. p. 18. l. 3. l. 1. B. p. 20. l. 13. post. acut. pon. l. 2. c. 2. p. 22. l. 12. post D. pon. de. p. 25. l. 23. l. cruentum. p. 26. l. 15. l. rodentem. p. 30. l. 20. l. impedire. p. 33. l. 16. l. Alex. l. 1. c. 1. l. 25. pro male l. parum utilem. p. 41. l. 27. l. Sydenhamus. p. 43. l. 18. l. intern. p. 44. l. 25. l. obeffe. p. 45. l. 22. l. obstructione. p. 48. l. 1. l. diaetam. l. 29. l. soleant. p. 50. l. 4. l. quacunque. p. 51. l. 10. l. vehementi. l. 17. l. linimentum. p. 57. l. 21. l. vocatos. p. 59. l. 5. l. iusto. p. 62. l. 5. l. motus.

# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

